DE TYMPANIA DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS QUAM...

Luigi Varischi

DE TYMPANIA

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
PERILLUSTR. FACULTAT. MEDIC. DIRECTORE
SPECTAB. D. DECANO NEC NON CLARISSIMIS
D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

FRANCISCO MARABELLI

CHEMIAE PROFESSORE O.

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE CAPESSENDA IN CELEBRATISS. I. R. ARCHIGYMN. TICINENSI

Mense Martii an. M. DCCC. XXXI

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTEBAT

ALOYSIUS VARISCHI

EX CASTRILEONE IN PROVINC. CREMON.

TICINI REGII
Ex Typographia Fusi et Socii



DE TYMPANIA

Nulla adest organismi humani pars, in qua morbosa aerum collectio contingere non possit, et animadversa non sit. In viis respiratoriis, in cavis genito-urinariis, inter cancellos membranarum serosarum, peritonei, pleurae, pericardii, arachnoideae, tunicae vaginalis, in oculo, in thymo, in glandula thyroidea, in vasis tam sanguineis, quam lymphaticis, in ipso corde, inter parietes abdominales, inter tendines, sub periosteo, in cavo ipso ossium interno, et quammaxime in textu celluloso fluidorum elasticorum collectionem vident Medici. Varias vero inter *emphysematum* species, sane frequentissima illa est, quae in abdomine suam occupat sedem, ab antiquis, et *Hyppocrate* praecipue *hydrops siccus*

inquit Hippocrates, *et circa umbilicum dolores, et lumborum dolor, qui neque purgante, neque aliter solvitur, in hydropem siccum firmatur.* Hac sub morbosa conditione abdomen uniformiter tumet, et viscerum abdominalium statum medica manus explorare non potest; cutis valdopere tensa et lucida, ast concolor adparet; tumor est elasticus, percussione valdopera resonans; dolor summa ventris cutis extentione plerumque silet. Aegrotus ob mechanicam pressionem fit anxius, et alius ei non conceditur decubitus praeter supinum. Tali in statu tympania facillime cum ascite confundi potest; in utroque enim tussis sicca, insolita lassitudo, suspirium, et singultus, cordis palpitatio, oppressionis sensus circa praecordia, dyspnoea, vomitus, alvus iners, oculorum caligo, animi deliquia, et ipsa pyrexia observatur; attamen si attanto abdomen subjicitur examini, ab ventris sonitu, borborygmorum, ructus et flatuum deficientiam, nec non ob laticis effusi undulationem, manifeste ascite a tympanite distinguitur. Nihilominus nonnulla dantur exempla, in quibus hos morbos inter se discernendi maxima adest difficultas, sicuti cl. *Petrus Frank* (1) his verbis aperta demonstrat. » Non sonoram » hic semper esse abdominis intumescentiam ex» perientia haud raro docuit. Quidquod abdomen » in quo nonnisi aquae stagnaverant, percussum, » tympani quasi sonum ediderit, sicuti *ipsam* » *fluctuationis* in abdomine perceptionem falsita» tis; cum a solis intestinis flatu distentis illa

(1) De Curand. homin. morb. Epitom. I. VI. p. 12.

» venisset, tum susceptа praepostere a viris etsi
» celebribus paracentesis, tum sectio anatomica
» convicit; ut igitur non tam facilis sit tympa-
» nias ab ascite, per fluctuationis absentiam di-
» stinctio quam quidem vir clarus praetendit.
» Ventris cum utriusque manus vola sustentatus
» et quasi ponderatus tumor, in pneumatosi lon-
» ge certe levior, quam in ascite est. Aquarum
» vero, aut conspicuae visceris obstructi molis,
» aut faecum plurimarum in intestinis, simul cum
» aere, praesentia, hoc signum utique elidit.
» Ventrem, supino aegroto, in tympaniam non
» subsidere verum est; sed ubi in ascite aquis
» ille plenissimus est, mollescit quidem tumor;
» non tam subsidet. Pulsum hoc in morbo ple-
» niorem esse atque duriorem, quam in ascite,
» monente alio, percipimus; sed certe in ultimo
» hoc morbo pulsus aliquando vibrantes ac ple-
» nos observavimus. Caeterum in pneumatosi pe-
» reoni quidquam provecta, et aestus internus,
» et sitis, oculorum caligo, vertigo, dyspnoea,
» suffocatio, cordis palpitatio, lypothymiae, sin-
» gultus, vomitus, ileus ipse frequenter occurrunt.
» Alvus plerumque certe pertinaciter, et octo,
» aliquando et plures per dies obstructe est;
» in duabus interim aegris *Viennensibus* hoc
» morbo prehensis, alvus fuit liquida; a flatu et
» faecibus extensa maxime intestina, non modo
» partes vicinas sed vasa quoque propria cum
» periculo gangraenae, atque ductum aliquando
» choledochum, ut et *icterus* adhinc vencrit,
» comprimuntur. Secretio urinae, quam in ascite
» abundantior in genere; etsi non in omni hy-
» drope lotii excretio imminuta sit. Urina tenuo
» parca saepe, rubra, stranguriosa a.

In cadaverum sectione vitia organica in intestinis, flogoseos signa, coagula lymphatica, effusio seri, et saepius etiam quaedam maculae lividae inveniuntur. Morbi substratum intestina sunt, et crassa praecipue, sed gaz in pluribus loculamentis, quae inter se non communicant, continetur.

Tympania abdominalis a ventris volumine aequabili, a resonitu evidentiori, et a ructibus et flatibus, vel deficientibus, vel nullum adferentibus levamen dignoscitur; dolores magis exteriores sunt, et alvus minus adstricta evadit. Haec sunt signa, quae tympaniam abdominalem ab intestinali distinguere auctores proponunt; sed, proh dolor! saepe talis distinctio difficultatibus non decet; tumor enim inaequalis, qui uti verae, sive intestinalis tympaniae symptoma proponitur, etiam in abdominali pluries observatur; praeterea frequentius flatus in vera tympania aut nulli aut parvi, vel nullum afferentes levamen adparent et alvus non semper maxime adstricte invenitur; ideo cum celeb. *Frank* (1) fateri opportet: *abdominalem inter et intestinalem pneumatosin adhuc claudicat, diuque claudicatura est diagnosis.*

Physometra sive tympanitis uterina, non tam in virginibus, quam in mulieribus, in primis autem vetulis observatur. Iste morbus ut plurimum uti graviditas spuria est considerandus, nam mola putrescit, producit gaz, quod oterum dilatat; inde rupta vesica aer exit, et ideam de

---

(1) De curand. homin. morb. Epitom. T. VI. pag. 77.

uteri ruptione praebet, quae *aedaeopsophia* a veteribus fuit dicta. Duae igitur habentur tympanitis uterinae species; in prima aer reclusus veram uteri tympaniam constituit, et tunc mulieres, menstrua nulla vel parca ex utero emittentes, gravidas se esse putant, uti exempla non ignorantur, in quibus aerem sonora ex genitalibus explosio omnem earum illusit spem; in altera gas ex utero prorompere potest, et flatus uterinus constituit, qui cum faetore et fragore emanantes, tumoris hypogastrici imminutionem producunt, et sub inde materies ichorosa, flatulenta eos sequitur. In quovis tamen casu praeter tumorem elasticum et resonantem, in regione epigastrica, dolor radens, et pungens versus inguina et vaginam observatur, et inde sitis, horripilationes, febricula ad vesperas exacerbanda, atque anxietas aegrum continue vexant.

Aetiologia.

Nemo profecto erit qui inficiari vellet, ad tympanitis genesim peculiarem requiri dispositionem, qua absente, etiam causae validiores morbum concitare vix valebunt. Ad tympaniam intestinalem omnia disponunt momenta, quae tubi intestinalis atoniam producere valent, ita abusus ciborum indigestorum, et maxime debilitatem inducentium, uti sunt pinguia, fructus oleosi etc., drastica non solum, sed cathartica etiam diu continuata, nimis avacuandi, intestinorum vires infringunt, et inde ad tympaniam disponunt; animi pathemata, et maxime deprimentia eundem

producere possunt effectum; etiam vita sedentaria, sicuti causa disponens, est consideranda, et facillime flatulentiam habitualem per vices redeuntem producit. Ad hunc morbum vero veldodopere disponunt quaadam diatheses, uti hypochondriasis, hysteriasie, et saepe veluti prophases considerandae sunt.

Ad causae occasionales omnia sunt referende, quae fluidi elastici maximam suppeditant copiam, leguminosa enim et praecipue faseoli, pisae, lentes, farinosa, quidam fructus horraei, uti poma etc., pisces marini, carnes salitae, caro ovilla, suina, cerevisiae non satis fermentatae, vini junores, flatibus permultis apud eos quam maxime, quorum intestina languent, generandis pares sunt. Habentur substantiae, quae facillime in intestinorum cavo chemicam subeunt decompositionem, et ita fluidum elasticum copiosissimum evolvunt: magnesia non caustica ex. gr. multos flatus in primis viis evolvendo saepe debilioribus molesta evadit. Nonnulli etiam inveniuntur homines, qui aquis mineralibus acido carbonico ditioribus uti non possunt, nam venter nimis turget. Aliqui vero possunt tympanitem subire sub victu normali, si in primis viis illa deficiunt elementa, quae gas elasticum evolutum extinguunt, uti si bilis, succi pancreatici, succi gastrici effluxus denegatur, vel morbosa fit eorum secretio.

Ad tympanitae genesim explicandam necessarium est, ut fluidi elastici exitus praepediatur. Hunc exitum praecludit obstaculum mechanicum, quod a motus intestinorum peristaltici vigore superari non possit. Tela inter obstacula materiae faeculentae, durae, viscidae numerantur, quae

praecipue in fessura sygmoidee stagnando, quod *copostasis* dictum, non modo flatuum retentionem producunt, sed ipsae corrumpuntur, et novi ideo extricantur aeres. Callositetas intestinorum, stricturae, quaedam pseudo-membranae post varias earum phlogoses, et quam maxime chronicas, canalis hujus diametrum imminnunt, et foecum fluidorumque elasticorum descensum intercipiunt. Intestinorum coarctatio ab hernia, vel volvulo, nec non compressio a viscerum vicinorum vitiis, uti hepatis, pancreatis, lienis infarctu, aut eorum obstructione, producta, fluidorum elasticorum collectionem, et inda tympaniam generare possunt. Demum spasmus inflativus uti tympanitis intestinalis causa numerari potest; nam si tubus cibarius spasmodice contrahitur tum versus partes inferiores quam superiores, id quod in medio est exire non potest, et inde corruptiones subit, extricantur gaz, et intestina pedetentim extenduntur.

Causae vero, quae tympanitem abdominalem producere valent, ad putredinis et fermentationis processum in peritonei cavo referuntur. Si post gravem enteritidem; aut peritonitidem sphacelus accidit, quaedam evolvuntur gaz, quae abdomen distendere valent; idem evenire solet si pus, urina aut sanguis in ventri cavum effunduntur, et fermentationem subeunt. Haec tympania potest etiam esse effectum alicujus visceris putrefactionis vel quoque bilis aut foecum in abdomen effusionis, ob vulnus, aut cystis fallese rupturam. Aliquando, licet rarius, aer in intestinis extricatus, in abdominis cavum ab ipsis irrumpit, et totum ventrem distendit.

Physometra tandem vel ex placenta, vel ex quadam mole diutius in utero relicta, et putrefacta; ex lochiorum et mensium retentione, ex gaz hydrogenio aut azoto, quod ex uteri ulceribus, vel ipsius sphacelo evolvitur, plerumque originem noscit; etiam haemorrhoidum molimi-num suppressio, si uteri tympaniam non producit, eam tamen augere valdopere potest.

Prognosis.

Tympania intestinalis, ut bene ait Baglivius (1), *morbus est acutissimus, et difficillimus, citoque interemit.* Ipsius decursus plerumque intra aliquot dies, vel paucas hebdomadas absolvitur, et saepe laevis comitatur febricula. Aliquando vero in statum abit chronicum, ubi aeris exitus non est prorsus impeditus. Haec tympania non aliter ac aliae morborum familiae triplicem finiendi modum agnoscit, in salutem scilicet, in alios morbos, et in mortem. In salutem non adeo perraro terminatur, si nulla adsunt vitia organica, si morbus est recens, et a solo spasmo, ab atonia, vel bilis defectu pendet. Signa vero, quae morbum ad sanitatem vergere indicant, sequentia sunt: dolor in principium atrox mitigari incipit, flatus et ructus frequentiores observantur: alvus minus stricta adparet, at ventris tumor se imminuit. Si autem tympania est inveterata, si a vitio organico, a laesis, ruptis, corruptis intesti-

(1) Baglivius. Opera omnia p. 46.

nis, aut visceribus oriatur, si anasarca aut ascite copuletur, tunc omnino insanabilis est. Tali in statu flatus aut ructus nihil prosunt, et si interdum venter detumescit, paullo post tumor iterum adaugetur, ac fallacem illudit spem. Si tandem abdomen in dies valdopere crescit, si dolores, cum flatibus et ructibus nullis, nec non cum alvo quammaxime stricta increscunt; si haemoptysis, vel pneumorrhagia, virium lapsus, macies, febris lenta, sitis, cutis ardor, urinae turbidae succedunt, nunc certam prognosticant mortem, quae vel per febrem putridam, vel per gangraenam, tunc etiam per suffocationem, aut apoplexiam evenire potest.

Tympania abdominalis fere insanabilis evadit; et in uterina si aliquod est sperandum, a solis naturae viribus dependat; et tunc morbus solvitur vel per flatos copiosissimos et foetidissimos ex pudendis prorumpentes, vel per haemorrhoidum, menstruorum, lochiorum reditum.

Therapia.

Licet primaria indicatio illa sit gaz evolutum eliminare; nulla tamen generalis medendi methodus in tympania statui potest, quoniam pro causae diversitate remedia diversa adhibenda sunt. Si aeriformis materia in tubo cibario evoluta faecibus duris et viscidis retinetur, tunc cura fere semper a purgantibus est incipienda, nam motum peristalticum promovendo, gaz exitui favent; sicuti vero intestinorum atonia vel est causa disponens, vel fuit a fluidorum elasticorum collectione inducta, ita drastica adhibere oportet et praecipue jalappam, scamonium, gummigut-

tam, maxime cum calomelano, qui pancreaticam secretionem sollicitat. Horum autem remediorum usus cauta manu faciendus, nam saepe (uti cl. *Jacopi* aliis cum auctoribus notat) aerum collectio in intestinis irritationem, et inflammationem producit, unde nonnulli medicamenta potius quae ex recti intestini suam propagant actionem quammaxime commendant, uti enemata vel emollientia, vel ex chamomillae infuso, nec non fistulam in anum profunde immissam.

Tympania non tam rara illa est, quae ex intestinorum spasmo originem ducit. In hoc casu antispasmodica, seu carminativa tum interne quam externe sunt suppeditanda, uti sunt semina ex plantis umbelliferis, foeniculi, anisi etc. infusum florum chamomillae, radix calami aromatici, angelicae, valerianae, herbae menthae, hysopi, roris marini, liquor anodynus, nux moscata, naphtae, camphora, assa foetida etc. Ultimis hisce remediis, tantum ubi vera adest viscerum debilitas, uti debent practici, nam si minus caute admoventur, gravem inflammationem et gangraenam producere valent. Clysteres etiam frigidi vel ex simplici chamomillae infuso, vel addita assae foetidae cum vitello ovi solutae portione, compositi non sunt negligenda. Enemata etiam ex fumo nicotianae tabaci in anum immissa ad dolores leniendos, et aeris ex ventre exitum promovendum plures multum laudarunt. Quamvis opium ad motum peristalticum infringendum, uti in diarrhora, valdopere activum sit, tamen duce experientia, etiam in tympania spasmodica indicatum esse adparuit, optimum enim est antispasmodicum, et ita intestinorum spasmum solvendo,

gas elastici collectionem imminuit. Si igitur opium cauta manu, et nonnisi sub majori spasmorum influxu, atque oleosis, et mucilaginosis conjunctum adhibetur, maxime hoc in morbo erit utilitatis.

Quam primum vero suspicio forat de aliquo obstaculo ob vitium organicum, tunc parum aut nihil in tympania intestinali ars medica promittit. Si viscerum vicinorum obstructiones, quae mechanice ex intestinis aeris exitum vetant, simplices sunt, ona cum purgantibus etiam solventia uniendo, uti erunt amara, amaro-aromatica, sapo venetus, calomel, frictiones mercuriales, aliquod est sperandum. Si vero extensae et scirrhosae sunt obstructiones, si ex intestinorum concretione, polypis, pseudo-membranis, volvulo, si ex calculis felleis majoribus, et durissimis, mesenterii tumoribus tympanitis dependat, tunc ars nullum afferre potest levamen, et si aliquod sperandum foret, in victu tenui, minime flatulento, in remediis ac clysteribus mucilaginosis ac oleosis consistit.

Cum frequenter fluidos elasticos a ventre pellere impossibile sit, tunc multi aliquas substantias exhiberi solent, quas flatus absorbendi maximam habere credunt activitatem; talia sunt potassa, ammonia, magnesia, et praecipue calx, nam acidum carbonicum gaz evolutum esse putant. Ast si rem tantillum considerare velimus, non solum spes odom non est, haec absorbentia ad loca, ubi effectum exerere debent, immutata pervenire posse; sed experientia etiam docet, hoc gaz aliquod esse compositum, at sicuti ab odore flatibus emanante videtur, connubium e pluribus gaz speciebus, et praecipue ex sulphu-

re, hydrogene, et phosphoro. Ut gaz magis compactum reddatur ab aliis frigus propositum fuit, qui tum fomentationes egelidas super abdomen, tum etiam potus, et clysteres frigidos commendant, sed praxis pluries demonstravit, hoc fere semper anceps esse adminiculum, nam frigus contractionem promovendo, spasmum auget, et ita tanto magis aeria collectioni favet. Etiam fomentationes calidae usae fuerunt, sed si sunt temperatae, nec nocent, nec prosunt; ast si supra trigiota gradus exaltator calor, usque ad internas partes agit, et gaz expansionem promovet.

Dum nec gaz evoluti expulsio per vias naturales, neque eorum absorptio produci possunt, ad mechanica auxilia confugiendom esse plurimi volunt, quae inter syringae admotio et paracenteseos operatio numerantur. Apex stamneae syringae in anum immitere solent, et inde embulo saepius educto, contentorum in intestinis repletur instrumentom, et sic aer evacuatur. Eadem syringa si lunga et flexili canula est instructa ex stomacho etiam fluidum elasticum educere valet. Sed licet aliquam in stomachi et intestinorum crassorum tympanis afferre possit utilitatem, tamen dum gaz in intestino tenui colligitur, si ullum damnum ex repetita in anum syphonis introductione invenitur, nihil quoque obtinetur emolumenti.

Utrum in tympania intestinali aeres sint acupunctura educendi nec ne, multum disputarunt medici. Nonnulli paracentesim uti sacram salutis anchoram proponunt, summae inoixi utilitati, quam in pecudibus haec operatio adfert. Boves scilicet non minus quam vaccae tempore autumnali multam herbam recentem aut trifolii aut napi

depascentes, turgere, ventre inflari incipiunt, inde vacillant, et si illis statim non fertur auxilium, concidunt, at rupto ventriculo etiam vitam amittere possunt. Ast si acupunctura costam ultimam inter et ossa pubis aeriformis materiae immensa quantitas educitur, tunc vita illis restituitur animalibus, quae necessario peritura forent. Quanti vero ponderis ad peracentesim suadendam hoc argumentum sit, ex sequentibus elucebit; nam in supradictis animalibus tympania est morbus, qui de repente oritur in organismo sano; ex ingestu cujusdam materiae, quae statim in primis viis fermentat, et inde gaz adcumulatio in primo ventriculo sive in ingluvie non in intestinis efficitur; dum in homine tympania improvise non gignitur, et gaz in intestinis, pluribusque in cavitatibus colligitur; praeterea terribilis inflammatio ex intestinorum punctura nasci potest, quae ultimo in gangraenam abire visa fuit. Quaenam sint momenta, quae paracentesim in tympania intestinali instituendam non esse docent, *Franciscus nob. ab Hildenbrand* sat bene ita numeravit (1) » 1. Prae aliis determinari nequit » locus pro paracentesi eligendus; etenim licet » abdomen aequabiliter tensum adpareat, nequaquam totus tractus intestinorum inflatus supponendus. 2. Quocumque in loco immittatur » acus, nulla aeri exitum parandi certitudo habetur: potest enim acus vel fortuito casu interstitio anfractuum immitti, vel super levigatam intestini superficiem ita delabi, ut illud ne » hilum offendatur. Ipsa intestina una cum reli-

(1) Anales scholae clinicae tom. I. pag. 293.

» quis visceribus in casu tympaniae plerumque
» e normali suo positu removentur; quam ob
» rem contingere potest, quod, qui colon in-
» flatum perforare sibi proponit, anatomicis du-
» ctus cognitionibus, intestinum tenue, vel sto-
» machum plane perforabit. Quis autem acum
» illuc immittere voluerit, quo non videret, ne-
» mo adhuc, monente acutissimo Morgagno, ex
» cautioribus chirurgis est inventus. 3. Aer ela-
» sticus nunquam per totum caualem entericum
» aequabiliter distributus esse solet, sed in sin-
» gulis ditionibus, quarum una cum altera, et si
» contigua, nullam habet communicationem, pro-
» pter flexuras, compressiones, vel quod commu-
» nissimum est, propter stricturas tunicarum.
» Hinc, posito etiam casu intestini perforati, non-
» nisi portio aeris contenti educetur, reliquus vero
» tractus refertus manebit, nisi tot fierent pun-
» cturae, quot sunt loculamenta invicem separa-
» ta. 4. Quaevis vulnera intestinorum periculi
» sunt plena, etiamsi organon nulla prius labe
» fuerit infectum. Quid ergo sentiendum de vul-
» nere intestini jam jam inflammati, summopere
» tensi: vel plane prima jam gangraenae rudimen-
» ta foventis? 5. Quousque spes sanationis secu-
» riori via obtinendae affulget, nemo sane mentis
» vitam aegri periclitabitur operationis genere in-
» fido, summaque periculoso. Quod si vero con-
» clamatus fuerit rerum status, jam semper in-
» testinis inhaeret aut paralytica atonia, aut fu-
» nesta gangraena. 6. Pertuso eum in modum
» intestino, ut saltem portio aeris elastici pro-
» deat, contemporaneus exitus liquorum enterico-
» rum et faecum impediri nequit. Quaenam au-

» tem inde mala? Canulam acus triquetrae in » vulnere relinquendo, consolidatio impossibilis » est; immo ex continuato ejus stimulo mecha- » nico gravissima mala, at maxime gangraenae » cita diffusio essent pertimescenda. Canulam con- » tra extrahendo, sordium intestinalium ingres- » sum in cavum abdominis nemo impedire pote- » rit. 7. Tympaniae resolutio nullo alio modo » esset speranda, nisi reserata intestinorum via » naturali, et amotis impedimentia; quod para- » centeseos ope nentiqnsm obtinebitor. »

In tympania abdominali medicamina per os aut anum introducta plerumque nullius sunt emolumenti, at si aliquid expectandum foret, in abdominis paracentesi fides est reponenda, dum vero diagnosis sat certa evadat.

Ars in physometrá, uti jam monui, parom valet, et a solis naturae conatibus fere semper salus dependet; tamen si a supressis lochiis aut catameniis oritur, sanguinis eductiones, hyrudinum admotio et levia emenagoga adhiberi possunt. Antispasmodica etiam et carminativa, nec non injectiones roborantes efficacissima sunt remedia ubi spasmi aut convulsiones vexant, et syphonis quoque introductio in extremis non omittenda.

Haec praecipua sunt, quae circa tympaniam proferre potui. Nescio an munus recte expleverim. Cum vero nec tempus, nec hujus materiae tam arcte circumscripti limites concedant me diutius in hoc argumento versari, libello finem impono, dum fidenti animo a lectoribus veniam apero, si de omnibus circa argumentum idem non satisfecerim.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Dysenteria, spectata ejusdem genesi et conditione pathologica, nil aliud est quam intestinorum catarrhus.

II.

Morbi in collegiis debachantes sunt moralis solitudinis fructus.

III.

Inter cunctas febrium intermittentium species, exceptis larvatis et perniciosis, quotidiana duplex maximo terret vitae discrimine.

IV.

Mala educatio in causa est omnium fere morborum ad forum chirurgicum minime spectantium.

V.

Motus vitales reguntur diversis systematis nervosi centris.

VI.

Theoria medica, ex factis unius regionis propriis desumta, constanter fallit succedet.